



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.15. Friderici æumnæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A.C. 1249.

pungi sentiens expectabat, dum divina gratia ipsum per poenitentiam tam miserabili e statu extraheret. Quapropter Aulicis, ut ignominiam Marcesinæ impositam ulcisceretur, instantibus, in lachrymas solutus ducto e visceribus imis suspirio, Cur me urgetis, ajebat, ut hominem justum puniam? Si sine probro ac dedecore vivere voluissem, Imperatoria mihi dignitas conservanda fuisset integra. Nunc, cum me ac Imperium infamia cumulaverim, æquum est, ut patiar poenam, & amaros scelerum fructus colligam.

ap. Allat.
de Conf.
p. 717. not. ad
G. Acrop.
p. 254.

Nicephorus Blemmydas Imperatoris animum sic comparatum esse probabiliter ignorans, sed quid ex Aulæ moribus constantiam suam maneret, videns, publice propugnandam censuit causam suam, & epistolam circummisit, in qua exposito factō & exaggerata Marcesinæ insolentia assererat, Ecclesiæ ministros facras leges invicta fortitudine observare, noxia verecundia non impediri, nec metu aut spe præterquam æterni supplicii vel præmii tangi debere.

§. XV.

Friderici ærumnæ.

M. Par.
p. 662.

Cæsari Friderico in Apuliam reverso, ibique graviter ægrotanti medici purga-

purgationem primum, deinde balneum suadebant contra morbum ipsius de industria præparandum. Medicus autem, quem Doctor Petrus de Vineis Friderici arcanorum particeps secum habebat, medicinam & balneum parare iussus ex Petri consilio mortiferum venenum immiscuit. Inimici Papæ perhibebant, ab eo Petrum donis ac promissis ad hoc crimen subornatum fuisse. Fridericus de occulta conspiratione monitus, adductum a Petro medicum potumque porrigentem priorem bibere iussit, positis retro custodiis, ne illi aufugere possent. Improvisa re percussus medicus vestigio falli se simulavit, & data opera corruens maximam potionis partem effudit. At Cæsar modicam, quæ supererat, fontibus ad mortem condemnatis hauriendam dari voluit, qui protinus interierunt. Medico e furca suspenso, Petrum de Vineis oculorum usu privatum, ac per plures Italiæ urbes circumductum Pisanis, qui capitali virum odio habebant, tradidit. Vindictam vero præveniens Petrus caput columnæ, ad quam astrictus erat, allisum fregit. „Per invidiam magnæ authoritatis suæ accusatum prodicionis esse,„ Malespinus Florentinus ejus temporis scriptor perhibet, qui prudentiam illius & facundiam laudat. Nos hac de re judicare possumus ex ejusdem epistolis, quas

Sæcul.XIII.
A.C.1249.

c. 131.

C 5

magno

Sæcul. XIII. magno numero habemus plerasque Cæ-
A.C. 1249. faris Friderici nomine scriptas, & corru-
 ptum sui sæculi gustum indicantes.

Petr. Vin. Inter has sunt duæ Friderici ad S. Lu-
lib. 3. ep. 22. dovicum peregre agentem: priorem co-
 23. gnoscendi gratia, quid subesset rumori de
 ejus classe per tempestatem dispersa, al-
 teram cum commeatu ac equis misit, in
 qua significat, se ipsum ad bellum sacrum
 proficisci cupere, sed negotiis sibi a Papa
 creatis distineri. Mente Majo hujus an-
 ni 1249 Henricus Friderici filius spurius
 Sardiniaæ Rex in Bononienses movens
 per insidias captus, & in carcerem con-
 jectus est, ubi eum ad mortem usque con-
 temptis Friderici minis asservarunt. Sub
 idem tempus alius e filiis ejus haud le-
 gitimis in Apulia supremum vitæ diem
 egit: atque hi casus Petri de Vineis pro-
 ditioni juncti acerbo illum dolore affece-
 runt. Denique ipse morbo, quem voca-
 bant ignem sacrum, correptus, & arro-
 gantes spiritus tot adversis rebus fractos
 sentiens, æquas pacis condiciones Papæ
 obtulit. At iste recusando multos viros
 nobiles sibi infensos, Friderico faventes
 reddidit.

M. Par.
 p. 665.
Malisp.
 c. 140.

Petr. Vin.
lib. 2. ep. 34.
M. P.

§. XVI.

S. Ludovicus Pelusii.

Gesta. Du- **R**ex S. Ludovicus, postquam Ægyptum
chesne. p. 353 petere, ac Pelusium oppugnare sta-
 tuerat,